

# Henrici Denifle Ord. Praed. Memoria.

Autor(en): **[s.n.]**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **20 (1906)**

PDF erstellt am: **14.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761884>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



HENRICVS · DENIFLE  
ANNORVM · LXII · EX · ITINERE · OBIT · MONACHII  
IV · ID · IVN · MCMV  
RHÆTIA · QVEM · GENVIT  
PRÆDICATORVM · ORDO · SIBI · LITTERISQVE  
VINDICAVIT  
ROMA · COMPONENTIS · AC · TVTANDIS  
TABVLARIIS · VATICANIS · ADHIBVIT  
GERMANIA · EXOPTATVM · HOSPITEM · FATIS  
CESSVM  
PIA · CONDIDIT  
ERVEDITORVM · QVA · LATE · PATET · RESPVBLICA  
PLAVDENS · AESTIMAVIT  
CONFRATRES · LVGENT  
QVEIS · PROVINCIA · AVSTR.-HVNGARE  
HOC · ELOGIUM · POSVIT.



Fr. Hieronymus Paravicinus Ictus O. Pr.

## HENRICI DENIFLE ORD. PRAED. MEMORIA.



ADMODUM REVERENDI AC VENERABILES PATRES  
FRATRESQUE DILECTISSIMI!

Haud multo ante crypta gentilitia inclytae prosapiae C. de Toggenburg Bauzani praecipuum Provinciae nostrae decus excepit, eximium perdignae memoriae condens Patrem Paulum M. Toggenburg, et iam iamque acerbum vulnus eadem sentire adigitur, haud imparatum sed opinato citius extinctum *A. R. P. Magistrum Henricum Suso Denifle*, Subarchivarium S. Sedis in Vaticano, Philos. et S. Theologiae Doctorem ac Magistrum, Academiarum Scient. Vindobonensis, Pragensis, Göttingensis, Parisiensis ac Berolinensis Sodalem, Universitatum Oeniponti, Cracoviae, Cantabrigae et Monasteriensis Facultatis academicis honoribus redimitum, Austriaci Ord. Coronae Ferreae Equitem et Galliae „Legioni Honoris“ Adscriptum, nec non Insignibus pro Scientiis et Artibus decoratum, qui inscrutabili divinae providentiae nutui obtemperans, die 10 Iunii anni lab. Monachii Bavariae diem clausit extremum.

Piaculum duceremus, Ipsius hic loci recolendo Fratrum solatio sicut Reipublicae litterariae exspectationi saltem aliquatenus haud satisfecisse.

Bene memores docentis Scripturae „Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua“ (Eccli. XLIV. 1), viri cuius opera „generatio et generatio laudabit“ (Ps. CXLIV. 4), dignum et iustum putamus dolorem sopire, tradentes cunctis, quorum intererit, qualis quantusque fuerit, quem denatum nunc luget Praedicatorum familia, Eruditorum orbis, imo Sancta Sedes Apostolica Romana.

Ortus sane venerabilis noster Henricus (in saeculo Ioseph) ex oppido Umbista (Germanis „Imst“) in Valle superiori ad Oenum Rhaetiae, seu modernorum voce „Tirolis“ nuncupatae, patre Ioanne, Ludimagistro, genitrice Anna Fischnaller nata, anno 1844. die 16. Ianuarii, ab

unguiculis ipsis ingenuum quoddam ac haud obvium portendere videbatur.

Innocue transacta puerili iuventa, perfectionis studium in semetipso suspiciens, pedester Graecense Coenobium Ord. Praedicatorum, nuper a Dignissimo ac Venerabili P. Mag. Thoma Anselmi, Ordinis Praedic. in ditionibus Austriacis Reformatore ad observantiam perductum aggressus, instanter Religioni aggregari postulavit, emensoque in sic dicto „Cassiano“, Studiosorum Brixinae Sedis Episcopalis Contubernio degens, literarum humaniorum assueto curriculo, a. 1861. 22. Sept. Graecii alba veste per iam memoratum Ordinis Resuscitatorem vestiri meruit, Patronum neoinceptae vitae acquirendo B. Henricum Susonem.

Procul dubio aspirantem nostrum praeter alia Patribus commendavit et musices experientia, quam discipulus, adhuc in Tirolis arcta crumena libros praecipue Chorales colligens, sane probaverat, satisfactorius sic non tam desiderio quam postulato Ecclesiae.

Sincera ac infucata a cunctis agnita religiosa vocatione, diligenter expleto probationis anno, ipsa Sanctissimi Rosarii festivitate (5. Octob.) 1862. votis Ordinis se obstrinxit, tota Congregatione, ut eventus testificabatur, nil nisi praeclarum successum opperiente.

Disciplinis philosophicis in schola domestica deditum et Theologiam ibidem 1864—1867 edoctum, praestitis cum laude praestandis, 22. Iulii 1866. Patrocinio S. Mariae Magdalenae Sacerdotio initiavit Celsiss. D. Ottocarus et Comitibus Attems, Princeps-Episcopus Seccoviensis, quo summo cordis affectu obtento beneficio in Conventuali Templo Graecensi ad S. Annae 26. praelibati mensis Omnipotenti primam incruentam obtulit hostiam.

Augustus 1867 eum vidit Cassoviae superioris Hungariae in avito Conventu Procuratorem ac in sacro exomologeseos tribunali infatigabilem ministrum et concionatorem, unde 1869 Roma studiorum causa lustrata, mensis Iulii die 21. Collegium ad S. Maximinum (in oris Massiliensibus), eundem Patentibus in forma legis ac usus nostri Lectorem S. Theologiae salutavit.

Subito ipsi concredebatur officium Vicarii Sabariae, ubi Iunioribus una Philosophiam et Theologiam tradere debuit, usque dum vocaretur Graecium, nativum Conventum, Philosophiam et Philologiam Graecam explanaturus, quibus

muneribus haud vulgari profectu Auditorum perfungens, ab anno 1874 eo loci Promagistri Studentium, Lectoris Theol. dogmaticae, Supprioris, Pro-Baccalaurei, Professoris Theol. fundamentalis et Pastoralis, Moralis, Rhetoricae, Magistri Conversorum, imo et Theol. dogm. specialis Doctorae onus indefesse sustinuit, ac examine „ad Gradus“ plausu superato 22. Septembris 1877, anno 1879 Baccalaureatum adeptus est.

Novembri anno 1880 solo patriae, Austro-Hungariae videlicet, valedixit, a Rmo P. Magistro Generali Ios. M. Larroca in partem sollicitudinis qua „Socius“ accersitus, quod aeque honorificum ac gravissimum munus, Magisterio in S. Theol. insignitus, ad a. 1884 gessit, quo Eminentissimo S. R. E. Card. Hergenröther movente, laboribus in Tabulario Vaticano exantlandis, eum Summus Pontifex Leo XIII. necessarium iudicans „Sub-Archivarium“ nominavit, quas partes ad ultimum usque halitum strenue tenere satagebat.

Virum adeo purae religiosae intentionis, tam multiplici mentis dote locupletatum, qui in tot diversis materiis egregium agere potuit magistrum, re vera „praevis orationum studiis quid faciat instructum, non sibi soli vivere, sed aliis proficere voluisse, Dei zelo ductum“ (in Laudibus Officii S. Patris Francisci) et hoc comprobavit, quod nimium mole alternarum operarum obrutus, nihilominus etiam Scriptis lectissimis orbem eruditum ditare plus quam tribus decenniis haud destitit.

Ut primitiae laborum (praeter lucubrationes in variis Ephemeridibus literariis publici iuris factas) apparuit 1872 Concionum cyclus (habitarum ex pulpito Cathedralis Ecclesiae Graecensis) sub tit. „Die katholische Kirche und das Ziel der Menschheit“, quo profecto se cordatum Divini Verbi praeconem *tempore ac loco difficili* manifestare non expavit. Sequebantur: „Das geistliche Leben“ (Anthologia ex operibus Mysticorum saec. XIV) Graecii 1873 (V. ed. 1904); „Der Gottesfreund im Oberland und Nicol. von Basel“ 1875 („Hist.-pol. Bl.“); „Zu Seuses ursprünglichem Briefbuch“ Graecii 1875; „Das Buch von der geistl. Armut“ Monachii 1877; „Heinrich Susos Schriften“ Augustae Vind. 1878–1880; „Taulers Bekehrung kritisch untersucht“ Argentorati 1879 (cum Dissertationibus in „Zeitschrift für deutsches Altertum“ 1880); „Die Entstehung der Universitäten des Mittelalters bis 1400“ Berolini 1885;

„Die päpstlichen Registerbände des XIII. Jahrh.“ Berolini 1886; „Specimina palaeogr. Regestorum Roman. Pontificum“ Romae 1888; „Chartularium Universitatis Parisiensis“ Paris. 1889—1897; „Auctuarium Chartularii Universitatis Paris.“ ibid. 1894—1897; „La désolation des églises, monastères, hospitaux en France vers le milieu du XV. siècle“ Macon. 1897—1899. Istis omnibus nomen suum apud Catholicos tam quam a fide dissidentes, ab Oriente usque ad Lusitaniae plagas canora voce fecit percrebrescere, non praetereundo Collaboratore P. Ehrle S. I., ab anno 1885—1895. comparentibus Berolini Collectaneis: „Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters“.

Peculiare sibi meritum comparavit editis circa materiam „Mysticorum“ lucubrationibus. Etenim in tali provincia utpote Theologus ac Stagiritae Magistri sententiis versatissimus, haud pauca praeiudicia quorundam Recentiorum, qui sinistre conceptis „Mysticorum“ inprimis Germaniae expositionibus, hos ipsos factioni suae tamquam „Reformationis“ saeculi XV. „Praecursores“, imo quodammodo „modernae philosophiae parentes“ lubenter vindicassent, penetranti studio Codicum ac sana crisi pensata doctrina, evidenti certitudine explosit. Nemo imposterum coetum decantatum Eorum, qui vocabantur „Gottesfreunde“, aut sparsa de Nicolao a Basilea heterodoxo, aut circa I. Tauler O. N. qua Libri „de spirituali paupertate“ genitorem, Eiusdemque „Conversionem“ pluris quam flocci aestimabit, contra cunctis rei peritis denigratos illos „Mysticos“, sinceris Catholicae Ecclesiae filiis nunquam ab orthodoxo dogmate deflexis annumerantibus, quibus obstinata solum pervicacia posset repugnare.

Ortum ac progressum medii aevi Universitatum, istarum conditionem internam quam ad extra, tot documentis ac probationibus, tam solida et irrefragabili demonstratione nemo hucusque enucleare est ausus; abs dubio Henricus noster genuinae huius materiae tractationis primus iecit feliciter fundamenta, in quibus ponendis utique sicut circa „Regesta Pontificum“, „Specimina palaeographica“, nec non „Chartularium Univ. Paris.“ et „Auctuarium“ valido singulariter illi adiumento fuerunt Tabularia Romana et Lutetiae Parisiorum thesauri oppido inexhauribiles, quibus in ordinem redigendis, disponendis ac perscrutandis vix alter fervorem, dexteritatem et navam illam attulisset industriam, qua inde ab omni tempore Defunctus ardebat.

Durante praeparatione Voluminum tangentium Sorbonam, *uni* Tomo aptando XI millia epistolarum manu-scriptarum perspicere eum oportuit, sicut et eodem fine, quadragies viam Roma Parisios est emensus (1889—1897).

Quae de Patrono suo, B. videl. Susone, prelo lectoribus porrexerat, non tantum Eruditis adparebant xenium iucundissimum, variis Scriptoribus tam circa personam Beati, quam ipsius opera et his prolata sentimenta in diversas opiniones abeuntibus, unde partum calamo et atramento bellum gestum (C. Schmidt et Guil. Prager), sed etiam numerosae manus Fidelium cuiuscunque status, sexus et aetatis, quibus „meliora charismata aemulantibus“ (I Cor. XII. 31) conscientiarum arbiter patientissimus imprimis Graecii servierat, tam sapido spirituali pabulo avide inhiabant, quod iterato postulatis novis editionibus sat superque firmatur.

„Desolatio ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium in Gallia circa medium saec. XV.“ (1897—1899), quam exorsus est naevis ac defectibus Regularium saec. XIV manifeste pullulantibus, occasione studiorum circa „Mysticam“ nec non historiam Studiorum generalium clare observatis, prodromus in causa quodammodo fuit illustris ac multo numero memorabilis Operis „*Luther und das Luthertum*“ (I. vol. Mainz, Kirchheim 1904).

Fructus improbi laboris, accuratissima solertia, sobriovirilitatis amore zeloque pro avita Ecclesiae doctrina compositus, quam diversa expertus fuerit pro conditione partium iudicia, quot indignas hinc inde Auctor perpessus fuerit criminationes, — eo ipso vix unquam inimicum personae, bene vero, ubi necessitabatur, adversarium causae agente —, sopitis paulatim fluctibus haud opus erit, utpote notorium, in memoriam revocare. Minime necessarium videtur aliud quid expiationis grata complacentia in medium proferre, quam Celeberrimae ac Antiquissimae Universitatis Cantabrigensis in Anglia etsi a Catholica fide aliena, solemne testimonium, quo ablatum nobis nuper Confratrem, gremio Academico Doctorali incorporare honori sibi duxit, summe laudatis reliquis operibus palam agnoscens, „Martinum Luther ab Eodem ad fidem monumentorum fuisse depictum“. Sane ex ore A catholicorum omni thesauro pretiosior confessio, debita nonnunquam in propriis castris contracta abundanter resarciens!

Manca et incompleta censeri deberet Fratris Henrici



vitae imago, si (quod gravissimi momenti nobis manet) de Illius utpote Religiosi ac Catholicae Ecclesiae Sacerdotis conversatione, nulla vel obiter solum fieret hic loci commemoratio!

Quotquot Eum norunt, nullo non tempore in eo advertebant persuasissimum orthodoxae fidei sectatorem, in moribus prorsus exemplarem, observantiae regulari immobili constantia addictum, vera in Deum pietate, tenero B. Virginis cultu, charitate infucata erga Confratres, Auditores praecipue sibi qua Magistro concreditos, Senioribus tam quam floridae iuventutis generationi prae-lucentem.

Etsi Graecii potentiori a parte scholae officiis occupabatur, his minime impediri se sivit, (premens Instituti nostri tesseram: „Laudare, benedicere, praedicare“), verbum Dei nuntiando, poenitentes in s. exomologeseos tribunali perprompte audiendo, cunctis ad se confidenter accedentibus, cuiusvis ordinis vel conditionis fuissent, pro viribus, cauto consilio, salutaribus monitis et quacunque provida ratione et miti tolerantia occurrendo, proximorum indigentis respondere.

Non erat quispiam forsitan doctus, eruditus, abditas scientiarum gazas *ad propriam satietatem* consorbens, sed sat gnarus, „illos qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellas in perpetuas aeternitates fulsuos“ (Dan. XII. 3) „potens opere (literario sed) et sermone“ (Luc. XXIV. 19), frequenter dixit ad populum graviter et intrepidus, annuntians Verbum Dei „efficax et penetrabilius omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque ac medullarum — monstrans sic se discretorem cogitationum et intentionum cordis“ (Hebr. IV. 12), ita ut saepe saepius „turba eorum, qui aderant, percutientes pectora sua reverterentur“ (Luc. XXIII, 48). Vix exciderunt memoria Auditorum, quae protulerat 1874 Oeniponti occasione „Coronationis Mariana“, sicuti Salisburgi, obeunte Dioecesi 13. Saeculum Rupertinum (1882), aliisque in variarum Urbium suggestibus, „Missionum“ „Conferentiarum“ similiumve Allocutionum exigente instantia.

Quodsi ad extremum vitam, quam vocitant personalem et privatam, Fratris nostri quaeritamus, nemo inficias ibit, virum politioribus litteris ad humanitatem adeo informatum, gravioribusque disciplinis apprime excultum,

in Austria, Germania, Helvetia, Gallia, Anglia, Hispania ac Lusitania haud peregrinum, homines diversissimae conditionis noscentem, eum semper se gessisse, de cuius societate ac commercio etiam summo gradu tam Ecclesiastico quam Civili potiti, nil nisi oblectationem et lucrum referre gavisii sunt.

Procul dubio certissima eius conscientia rectae intentionis ac iusti consilii Eum nunquam confusioni seu angustiis tradi permisit, cum quocunque homine loqueretur, aut de qualibet materia esset sermo. Profecto unus „ex raris nantibus in gurgite vasto“, „cuius genua non sunt incurvata ante Baal“ (III. Reg. XIX. 18), „qui nunquam falsi quid ore fuderat“, ut laudatio funebris Oeniponti audacter resonuit, celebrando ipsum ut agnitae veritatis assertorem acerrimum.

Talis erat, Venerabiles Fratres, quem modo sibi ereptum dolet *singulare decus* Ordo noster, et in eo praepriis nativa Defuncti Provincia „Imperii“; orbis literarius, qua late patet, *meritissimum Scriptorem*, Ecclesia Catholica et S. Sedes Apostolica piissimum ac fidelissimum *Vindicem*, „*integrae vitae scelerisque purum*“ *Dei famulum*, usque ad finem dierum!

Videbatur quidem firma Denati corporis constitutio longiorem annorum seriem amicis polliceri; sed abs dubio insolitis et tam diuturnis ut mentis sic et artuum fatigationibus vires pedetentim labefactari, nemini licebat dissimulare. Iam anno 1903 levi ictu apoplectico visitatus, brevi quidem convaluit, sed repetito Viennae casu 1904 mense Octobris, periculum crescere, vix observatorem latebat. Anno tamen lab. in Angliam 14. Iunii gratias Cantabriae acturus ex accepto honore ovando proficiscens, Monachii die 6. dicti mensis tertia vice paralyti ingredienti succubuit 10. Iunii, anno vitae 62, s. professionis 43., Sacerdotii 39. „Quis desiderio sit pudor aut modus tam rari capitis? Multis ille bonis occidit, nulli flebilior quam nobis“ exclamamus cum Venusino (Od. XXIV.)!

Die 13. Iunii in Ecclesia Parochiali S. Ludovici iusta illi persolvebantur, adstantibus permultis Ecclesiastici quam Civilis conditionis Dignitariis, numeroso coetu Religiosorum saecularisque Cleri, nec non fidelium, postquam die 12. Abbatialis Templi S. Bonifacii, Celeberrimi Ordinis S. Benedicti crypta, ea quae reliquit mortalia pie receperat, moeste gloriante Bavariae Regia, Illi quem in vivis

agentem haud Suum retinere potuerat, saltem Exstincto hospitium praebuisse.

Viennae dilecto Confratri familia S. Dominici 19. Iunii haud parum mota parentare studuit, cui lugubri solemnitati, praeter crebriores Universitatis Rudolphinae Sodales imo Gubernii Membra, et adfuit Serenissimae Domus Austriacae *Archiducissa M. Theresia*. Similia explere non haesitarunt et alia Provinciae nostrae Coenobia, uti Conventus eius natus Graecensis, Olomucensis etc. etc.

Roma, altera sensu certo Henrici circa fidem et officium Patria, non intermisit, Ipsi, in Ecclesia Minervitana spiritualiter auxiliando, publicum aestimationis et dignae gratitudinis testimonium perhibere. Bibliotheca igitur Apostolica et Archivio Vaticano in signum moeroris clausis, maestae Solemnitati a Vicario P. Magistri Generalis Ord. Praed. Roma absentis celebratae assensum demonstrabant praesentes Eminentissimi Cardinales Franciscus Segna, Tabularii Vatic. Summus Custos, Raphael Pierotti, ex Ordine Defuncto nostro charitate iunctus, nec non Aloisius Tripepi, S. C. R. Pro-Praefectus, Archivii Vat. quondam magister Henricique dudum fautor benignus.

Aderant non minus Legatus Suae Apost. Maiestatis penes S. Sedem, P. Andreas Frühwirth, Magister Generalis Ord. Praed. iam emeritus, Fratris defuncti ab initio fere vocationis religiosae amicus tenerrimus, Bibliothecae S. Sedis et Archivii Vaticani praesides ac custodes, sicut turmae Eruditorum, nullum discrimen obtinente patriam vel confessionem, et copiosi Regularium cohortes cum frequentibus amicis et notis.

Et haec sunt, Adm. RR. et Venerabiles Fratres, quae vobis impraesentiarum circa dilecti nostri Fratris obitum et Extrema a momento transitus Eius significare gestivimus. „Charitas Christi“ (ut cum Apostolo loquamur, II. Cor. V, 14) urget nos haud oblivisci Istius, qui nobiscum diu „sub una Regula et unius Professionis voto“, ipsi vidimus, laudabiliter vivens, merita meritis cumulare non cessavit. Cum tamen testante propheta nemo dicere possit „absque peccato et innocens sum“ (Ierem. II. 35) et „vix Iustus“ in tremendo severo aliquando arbitrio „securum“ se queat reputare (Sequentia „Dies irae“), ante iustitiam Dei supplices procidamus enixe rogando: Ipse Scrutator cordium et renum infallibilis velit ob Filii sui Unigeniti passionem, nec non precibus Virginis Genitricis

deferendo, quidquid Defuncto imperfectionis humanae etiam adhuc adhaeserit, clementissime indulgere.

Sane, multum valente oratione assidua (Iac. V. 16), misericordia Omnipotentis nos allevabit et sperare faciet, Servum eius bonum illa retulisse superna praemia, quae ab initio destinata sunt „veris adoratoribus in Spiritu et Veritate“ (Ioan. IV. 23).

Valete!

Viennae, in Conventu nostro S. Mariae Rotundae festo SS. Cordis Iesu, die 30. Iunii 1905.

Fr. Sadoc Szabó, O. P.  
Prior Provincialis.



## ZUR NEUESTEN PHILOSOPHISCHEN LITERATUR.

VON DR. M. GLOSZNER.



1. Runze, Metaphysik, Leipzig 1905. 2. Dimmler, Aristotelische Metaphysik, Kempten und München 1904. 3. Die Philosophie im Beginne des zwanzigsten Jahrhunderts, Festschr. für K. Fischer. II. Bd. Heidelberg 1905. 4. B. Stern, Positivistische Begründung des philosophischen Strafrechts. Berlin 1905. 5. V. Cathrein S. J. Die Grundbegriffe des Strafrechts. Freiburg i. B. 1905. 6. Dr. Schultz, Pythagoras und Heraklit. Leipzig und Wien 1905.

Die „Metaphysik“ von Runze (1) greift, streng genommen, über den Rahmen einer Naturphilosophie nicht hinaus; denn die darin behandelten Probleme sind vorwiegend naturphilosophische, dieselben, die Aristoteles in den *physicae auscultationes* behandelt. Selbst Begriffe, wie der des „real Möglichen“ und des Notwendigen werden mit spezieller Anwendung auf die Naturphilosophie erörtert. Dagegen sollen die eminent metaphysischen Fragen nach dem wahrhaft Seienden, dem *ὄντως ὄν*, nach dem letzten Grunde alles Seienden als wissenschaftlich unlösbar dem Gefühle, dem Gebiete des Glaubens zufallen. Es ist dies eine Metaphysik, die am Positivismus krankt und daher jenen Namen nicht verdient. Wir werden uns